Q. D. B. V.

DISPUTATIO JURIDICA
DE

DECOCTORIBUS SEU DEBITORIBUS NON SOLVENDO EXISTENTIBUS,

Vulgo

von Banquerottierern/

Quam

PRAESIDE

DN. GEORGIO VVERNERO,
J.U.D. Canonici atque Feudalis Professore Publico, nec non Dicasterii Gvelpherbytani Assessore,

DN. PRÆCEPTORE, PATRONO ET HOSPITE PERPETUO OBSERVANTIÆ CULTU PROSEQUENDO,

AD DIEM JULII M DC LXVII.

Publico examini exponit

PETRUS Neukrantz / KIRCHWERDERA-HAMBURGENSIS.

IN IULEO MAIORI.

HELMSTADII,
Recusa M D CCC XVII.

I. N. J.

DISSERTATIONIS

DE

DEBITORIBUS NON SOLVENDO EXISTENTIBUS.

THESIS I.

MErcaturam maximum Reipubl. emolumentum afferre, eamq; sine hac commode consistere haud posse nemo inficias ibit. Cum enim alias humanæ Societati sub egestatis onere periclitandum esset, beneficio Mercaturæ humanæ indigentiæ quam maxime succurritur. Hæc defectum humanum, res necessarias hic non prostantes aliunde procurando supplet, quo mortales civilem felicitatem eò melius obtinere possint; Hæc est quasi sanguis Reip. qui vividum vegetumque corpus reddit, deficiens vitales quoq; spiritus convellit & enecat, sic florente Mercatura florent in Rep. omnia, deficiente autem, deficiunt omnia, Scaccia *tract. de Commerc. & Cambisio* §. 1. *qu.* 1. *n.* 17. *p.* 3. interest itaque Reip. Mercaturam & Commercia, cujus ope & vigore pleræque civitates ad ingentes divitias & rerum abundantiam pervenerunt & adhuc hodieque pervenire solent, quoad fieri potest promoveri.

II.

Hanc Beneven. Straccha *in tract. de Mercatura part.* 1. *num.* 28. *pag.* 19. duplicem statuit: LICITAM aliam, aliam

am ILLICITAM. Licitam exercentes Mercaturam lucrum quidem æquitati consentaneum pro ratione laboris & periculi cui se suasque facultates exponunt, in mercando facere laborant, sed ob finem necessarium & honestum, vel ut se suamque familiam sustentent vel utilitatem Reip. promoveant, & tales merito nomine Mercatorum gaudent; nam sine his nec regio nec provincia, nedum Resp. consistere potest, quarum nulla, teste experientia & omnium sapientum suffragio, sibi sola ad omnia sufficit, sed altera alterius ope et auxilio indiget, juxta tritum illud: Non omnis fert omnia tellus. *Plerumq; enim quod alteri superest, alteri deest l. Origo. 1. in pr. ff. de contrah. Empt.* quod etiam Aristoteles *6. Pol. 8.* & alibi tradit, & summæ prudentiæ & autoritatis apud Græcos Plato *lib. 2. πολιτείας* referente JCto Callistr. *in l. si quis 2. ff. de Nundinis innuit: indiget,* inquiens, *civitas pluribus utiq; rusticis & aliis opificibus, & aliis ministratoribus, itemque his qui invehant & evehant singula, hi autem sunt* Negotiatores.

III.

Præter hos & illorum, qui Injustam sive illicitam exercent mercaturam, duæ reperiuntur species. Quidam sibi finem ultimum in lucro constituunt. Straccha *dict. loc. n. 29.* omnes contractus ad usuras convertunt, easque in sortem redigunt quod *l. ut nullo 28. C. de usur.* prohibitũ est; Et hi merito dicuntur Fœneratores, hinc recte Cato Civem fœneratorem pejorem quam furem existimavit, uti scribit initio libri de re rustica: Majores nostri sic habuerunt, & it. in legibus posuerunt, furem dupli condemnari, fœneratorem quadrupli. Dicuntur & Usurarii *c. quam perniciosum 11. de Usuris;* de quibus etiam *c. debitores. 6. de Jurejur.* ubi debitores ad solvendas usuras, in quibus se obligaverint, cogi non debent, quia sunt sublatæ & prohibitæ

tæ per *d. l. 28. C. de Usur.* vide Car. Molinæum *in Com. ad trit. Cod. de Us. lin. 1. p. m. 177.* periculosæ *c. quoniam. 2. de usur.* perniciosæ & odiosæ Wes. *in C. ad h. t. n. 4.* Tales negotiatores secundum *c. quid est aliud. 13. dist. 88.* *existimantur abominabiles, qui justitiam Dei minime considerantes per immoderatum pecuniæ ambitum polluuntur, merces suas plus perjuriis onerando quam pretiis, hi vix aut nunquam possunt placere Deo sed projiciantur de Ecclesia Dei ut loquitur. c. ejiciens. 11. dist. 88.* vid. plura apud Stracchamm *dist. tract. part. 1. n. 29. 30. & seqq.*

IV.

Deinde sunt qui prodigaliter vivunt, nec tempus nec finem expensarum habent *l. 1. ff. de Curat. furios.* sed patrimonia & bona suæ fidei concredita turpiter & inconsulte profundunt atque consumunt, sicque in bonis suis furiosum faciunt exitum *l. 12. §. 2. in f. ff. de tut. vel curat. dat.* dolosi fiunt, nugas & mendacia proferendo, fallaciter agunt, homines naso suspendunt, cogitantes cum Cardano *in l. 2. de subtil.* hominem propterea esse conditum ut sit animal fallax, quod genus ab Horatio Protheo comparatur *l. 2. Serm. Sat. 3. vers. 71. & seqq.* dicente:

Effugiet tamen hæc sceleratus vincula Protheus
Cum rapies in jura malis ridentem alienis
Fiet aper, modo avis, modo saxum & cum volet arbor.

Et Theodoricus Ostro Gothus referente Antonio Heringio *Tr. d. fidejussor c. 15. n. 8. p. 319.* ex Marquardi Freheri tractatu de fama publica *l. 2. c. 13. n. 15. p. 228.* frontosum quendam & malæ fidei debitorem, chamæleonti comparat inquiens: *Merito chamæleonti bestiæ conferendus, quæ parvorum serpentum forma consimilis aureo tantum capite & reliquis membris subalbentis prasini colore distinguitur: Hæc quoties humanos aspectus incurrerit, dum ei fugiendi veloci-*

tas denegatur nimia timiditate confusa colores suos multifaria qualitate commutat, ut modo veneta, modo blattea, modo prasina, modo possit Cyanea reperiri.

V.

Huic hominum generi nomen Decoctoris jure meritoque à JCtis tribuitur: & quamvis interdum mercatores innocentes hoc nomine insigniantur, ita ut quivis debitor quacunque etiam ratione ad incitas sit redactus, & non solvendo factus, nomine Decoctoris vulgo veniat, tamen ignominiosum & odiosum est nomen. In ejusmodi materiæ de Decoctoribus (quorum numerus per aliquot annos ob bella inter Anglos & Batavos exorta, & ob commerciorum inde orientem privationem & interitum valde auctus) tanquam rei cognitu perquam necessariæ, ne quemvis debitorem sive propria culpa sive hisce calamitatibus bellicis aut aliis fortunæ ludibriis bonis sit lapsus, decoctoribus dolosis annumeremus, veritatem in illius nomine, in cujus ad omnes actus omniaq; consilia progrediendum *l. 2. C. de off. praef. praet. Afr.* quantum temporis ratio & vires ingenii permiserint, inquirere apud animum constituimus, hanc observaturi methodum, ut prælibata Decoctoris tam Nominali quam Reali definitione, statim subjungamus divisionem in tria genera, cum modis quibus decoctores vel solo suo, vel solo fortunæ, vel denique simul & suo & fortunæ vitio fiunt, additis pœnis quibus Jure divino, Canonico, Civili, & Statutario decoctores afficiuntur, tandemque ea quæ ad naturam & substantiam Cessionis Bonorum pertinere videbuntur, pertractabimus.

VI.

Ut autem sciamus unde nomen Decoctoris descendat in definitionem nominis paucis erit inquirendum; quia ex

ex illa & proprietate nominum vis ac substantia rerum investigari solet Ant. Fab. *in ration. ad l.1. p. de I. & I. lit. B.* & nomina sunt instrumenta quibus res significantur. Derivatur autem vocabulum Decoctoris á decoquendo quod paulatim deminuere & coquendo absumere significat, unde decoquere sapam, decoquere defrutum *l. 12. §. 10. ff. de Instruct. & Instr. legat. l. 9. in pr. & l. f. §. 1. ff. d. trit. vin. vel ol. leg.* Deinde aliquando accipitur pro convertere ut est apud Plinium *lib. 22. cap. 22. omnem illico succum alienum, saporemq; in venenum decoquit*, id est convertit. Denotat denique substantiam consumere, translatione sumta ab his rebus, quæ ad ignem diutius commoratæ, ad nihilum redigi solent, B. Strach. *p. 1. n. 2. p. 336.* Vel valde coquere Str. *d. l. n. 3. in f.* hoc est vorare & pergræcari res patrimoniales & publicas & creditoribus suis fidem fallere: jure itaque qui hoc vitio laborant dicuntur Decoctores *l. 40. C. de Decurrion. l. 2. in f. C. de fund. rei priv. l. 5. C. de fabric. l. 12. in f. C. de suscept.* Conturbatores & bonorum consumptores: conturbare enim rationes, fortunas, nummos aut pecuniam interiori sensu idem est quod decoquere *l. quidam. fundum. 16. ff. de in rem verso. l. 4. §. 9. ff. de Inst. Act.* dicuntur impii Ps. 37. 21. fraudatores *l. 8. ff. depos.* Foro cedentes *l. 7. §. 2. ff. eod.* de quibus Plautus ait:

citius à foro
Abeunt, quam in cursu rotula circumvertitur.

Recentiores JCti fallitos & cessantes vocant. Strach. *d. l. n. 2. p. 336.* Galli Banqueroutiers, qui fant banqueroute, qui rompent la banque, alias & vocabulum Banccarotti deductum videtur ex Italicis: Bancca rotta quasi dicas, mensa & scamnum ruptum, h. e. die Wechseltisch oder Wechselbanck / darob der Intresse laufft gebrochen / das ist / auffgeben und auffgelassen. Dan. Saut, in Practica der Banckrott

c. 6. Germanice dicuntur Banckrottierer / die Schulden halben austreten.

VII.

Quia omnis quæ à ratione suscipitur de re aliqua institutio à definitione proficisci debet juxta immortalitate dignum præceptum Ciceronis *lib. 3. de Orat.* Ideoque definitionem nominalem, quæ est vocis in proprium effectum resolutio. Everh. *in loc. leg. 4. n. 2.* excipit definitio realis, cujus est explicare quid sit de quo disputetur. Cic. *lib. 1. off.* Quia vero omnis definitio periculosa, parum est enim ut non subverti possset. *l. omnis. 102. ff. de. R. I.* nos ad subtilem rationem Philosophorum, quæ definitionis componendæ & perpendendæ vias continet & demonstrat, Sturcius *in Comm. ad Reg. Jur. Civ. p. m. 625. n. 7.* adstringere nolumus, sed commodam hanc descriptionem cum Stracha. *tr. de Mercatura tit. de Decoctoribus part. 2. n. 1. p. 337.* ponimus, quod Decoctor sit, Qui vel fortunæ vitio, vel suo, vel partim fortunæ partim suo vitio non solvendo factus foro cessit.

IIX.

Ex hac descriptione, relicta bimembri Dan. Sauteri *in tract.* von der Practica der Banckerottierer / divisione, tria debitorum, qui non solvendo facti sunt, genera constitui possunt. Sunt enim *primò:* Qui præter omnem culpam solo fortunæ ludibrio, facultatibus labuntur. *Deinde* sunt alii qui nullo fortunæ ludibrio, sed solo suo vitio aut etiam dolo eo delabuntur ut solvendo non existant. *Postremo,* sunt qui partim suo partim fortunæ vitio decoquunt. Huc ex parte tendunt Ciceronis verba in *Orat. Philipp. 2. Tenesne memoria prætextatum te decoxisse? Patris, inquies, ista culpa est, concedo. Etenim pietatis est plena defensio.*

ſio. Illud tamen audaciæ tuæ, quod ſed iſti in duodecim ordinibus, cum eſſet L. Roſcia decoctoribus certus locus conſtitut9, quamvis quis fortunæ vitio non ſuo decoxiſſet. Romanorum quoque antiquis moribus hoc obſervatum fuiſſe, convincit elegans locus apud Senecam *lib. 7. de Beneficiis. cap. 26.* ubi ita ait: *Quid tu tam imprudentes judicas majores noſtros fuiſſe, ut non intelligerent, iniquisſimum eſſe eodem loco haberi eum, qui pecuniã quam à creditore acceperat, libidine aut alea abſumſit, & eum qui incendio, aut latrocinio, aut aliquo caſu triſtiore, aliena cum ſuis perdidit? nullam excuſationem receperunt, ut homines ſcirent fidem utique præſtandam. Satius enim erat à paucis etiam excuſationem non accipi, quam ab omnibus aliquam tentari.* vid. Hering. *de fidei. c. 5. n. 180. p. 63.*

IX.

Primum itaque Genus Decoctorum, qui ſcilicet ſolo fortunæ vitio ad incitas rediguntur, ut ære alieno ſe liberare, & creditoribus ſatisfacere nequeant fere ex caſibus fortuitis deducitur. Eſt autem caſus fortuitus qui conſilio & prudentia humana prævideri, aut cui præviſo reſiſti nequit. *l. in rebus. 18. in pr. ff. Commodati.* Chriſt. Sturcius *in Comm. ad l. 23. ff. de R. I. p. m. 150. n. 5. l. non utique 2. §. 7. ff. de adm. rer. ad civ. pertin. l. obligationes. 1. §. 4. verſ. is vero. ff. de O. & A. l. in judicio. 28. C. de locato Cond. l. 6. C. de Pignor. Act.* Qui duplex eſſe poteſt, vel Naturalis, ut maris tempeſtas, fluminis impetus, mors, adverſa valetudo: vel Accidentalis, qui hominis facto contigit, ut latronum, piratarumve inſidiæ, hoſtium incurſus, incendia & his ſimilia *l. 5. §. 4. l. 18. ff. Comm. d. l. 1. §. 4. ff. de Obl. Act.* & licet quidam dubitent an incendium inter caſus fortuitos veniat, quod plerumque culpa inhabitantium fiat ex *l. Nam ſalutem 3. §. 1. ff. de Offic. Præf. vig. & l. 11. in pr. ff. de per. & Comm. rei vend.* tamen cum à vicino prævideri non potuerit, re-

 cte in-

ℰe inter casus fortuitos refertur. Sturc. *in dict. Com. ad L. Contractus. 23. ff. de R. I. n. 15. p. m. 152.*

X.

Fortunæ itaque vitio facultatibus labuntur & non solvendo fiunt, vel qui transmarinas negotiationes exercentes maris tempestate suborta merces perdunt *l. 10. ff. qui & à quibus manum.* Navigatio enim est res periculosissima, iuxta illud Terentianum in Hecyra.

Non herclè verbis dici potest

Tantum, quam reipsa navigare incommodum est.

Unde Anacharsis dubitavit: an navigantes inter mortuos vel vivos referendi essent. Erasmus Rot. *in Apophtheg. l. 7. de Anacharside n. 15.* facile itaque accidere potest, ut bona, eum in finem ut lucrum inde vel commodū faciant, mari commissa, inopinato fortunæ impetu perdant & amittant *l. plane. 4. ff. Ut in poss. legat. vel fideic. serv. causa esse lic.* Vel qui à latronibus aut piratis bonis exuuntur, *l. in rebus. 18. in pr. ff. Commodati.* dum enim mercatoribus ad lucrum faciendum & ob communem utilitatem ad alias provincias ac civitates emigrare necesse sit, à grassatoribus viarum publicarum. Bodin. *lib. 6. c. 6. de Rep. p. 1114.* & latronibus famosis *l. 28. §. 15. ff. de Pœnis.* Insignibus *l. 16. in f. ff. de Appell.* sæpe invaduntur & violenter spoliantur, ut creditoribus satisfacere nequeant, fidem rumpant & frangant, tandemque negotiari desistere cogantur, ac quasi mortui fiant §. *Publicatione 7. Inst. de Societate l. Actione 65. 12. §. ff. Pro socio.* Vel denique qui per fraudem debitorum suorum quibus multum æris tradiderunt, hi autem iustum ac destinatum debiti solvendi tempus non servent, eo rediguntur ut nec ipsi suis fidem servare valeant

leant creditoribus, & huic debitorum generi valde improprie nomem decoctoris tribuitur, atque hos commiſeratione dignos, à moleſtia carceris vinculorumque liberari, etiamſi bonis non ceſſerint, dummodo jurent ſe pares ſolvendo non eſſe, humanius eſt. Mej. *in Coll. Argent. l. 42. tit. 1. th. 102. p. 1342.*

XI.

Alterum Genus Decoctorum eſt, qui nullo fortunæ ludibrio, ſed ſolo ſuo vitio, aut etiam dolo eo delabuntur ut ſolvendo non ſint. Mejer. *in Coll. Argent. loco citato.* & hi neque tempus neque finem expenſarum habent, ſed bona ſua dilacerando & diſſipando conſumunt vel ludo merces perdunt. *l. 3. C. de Aleator.* vel meretricum delinimentis, quarum venenis inficiuntur animi perditorum *l. 1. C. de natural. lib. abſumunt.* vel ſumtuoſis epulis fortunas abliguriunt & ingluviei dediti ſimul conſilium cum re amittunt, ut ait Straccha *d. tr. de Decoct. part. 2. n. 2. p. 338.*

XII.

Ut autem hujus farinæ decoctores eo melius nobis innoteſcant, notisſimos eorum mores paucis percurrere libet; omnes enim & ſingulos mores, omnesque eorum fraudes præſertim in occultandis rebus ſuis enumerare vix eſt poſſibile nec inſtituti noſtri ratio permittit. Non facile vero ſolent tales doloſi Decoctores, quamdiu poterunt animum fraudandi diſſimulare, nundinas publicas negligere præſertim univerſales atque ſolennes, vulgo die Meſſen/ ad has juſto tempore ſe conferunt, multum æris alieni aliunde mutuo accepturi, non

 memo-

memores jocosi quidem, sed veri Germanorum proverbii: Viel borgen und leihen ist eine Vergifftung deines Erbtheils: und hat eine Stieffmutter / die heist: verkauff deine Güter: die gebieret dir eine Tochter / die heisset: gieb sie wolfeil / dieselbige Tochter hat einen Bruder / der heisset: zum Thor hinauß. Accepto ære alieno, merces deinde, ea lege emunt, dimidium pretii conventi præsentibus, reliquam verò partem subsequentibus nudinis soluturi; Nonnunquam quidem promissis stant, sed eum saltem in finem, ut eo major pecuniæ summa eorum fidei committatur, tandem vero nimio ære alieno contracto, datam fidem & promissa frangunt, obligationes callide, malitiose & veteratorie interpretantur, & nescio quas tendiculas, glossas, sophismata, cavillos, strophas & offucias vafras illis affingunt. Anton. Hering. *de fidei. cap. 19. n. 33. p. 375.* & hoc modo non solum unum atque alterum sed multos sæpe mercatores & cives circumveniunt, decipiunt & fraudulenter fallunt. Consuevere quoque quando ipsis negotium aliquod tractandum ut promtiori & alacriori animo illorum fidei pecunia committatur magnos sibi spiritus sumere Thrasonum more aureos montes pollicentes, & ne repulsam ferant, sed ditissimos venditant, dicentes: se pecuniam in mercem utiliter collocaturos, fidejussores idoneos daturos, vel confestim soluturos esse *l. falsus creditor 43. §. si quis. 3. ff. de Furtis.* Deinde ut eo melius fallaciam & fraudes dolosque abscondant, & creditoribus glaucoma objiciant in victu & amictu admodum superbiunt, digitos multis annullis auro gemmisque pretiosis confectis ornant. Ex tali autem sumtuoso & pretioso amictu iis, qui genere vitæ & opibus luxui impares sunt, extrema decoctio metuenda juxta versum:

Bst

Est luxus populator opum, cui semper adhærens
Infelix humili gressu comitatur egestas.

verissime itaque germanici dicuntur: Köstliche Kleider machen zuweilen geehrte Leute/ aber zum öfftern reiche Pracher / böse Bezahler / die ärgsten Betrieger. D. Mev. *ad Jus Lub. lib. 1. tit. 5. Art. 10. n. 31. & seqq.* Sumtuosa quoque & splendida ædificia struunt, & non exusu & necessitate ædificant, grandioremque familia malunt, quam curia rerum suarum supplex fert, unde etiam facile ad incitas redigi possunt, juxta tritum illud:

Ædificare domos & corpora pascere multa
Ad paupertatem proximus est aditus.

Plures Decoctorum mores præsertim eorum, qui libenter & temere lites in judicio movent, & super re vilissima & causis pessimis litigando patrimonia profundunt, ut ambitioso juxta & rixoso ingenio satisfaciant, vid. ap. D. Mev. *in Comment. ad Jus Lub. loco citato.*

XIII.

Recensendo nonnullos decoctorum dolosorum mores, diximus eos in nundinis sæpissime fraudulenter agere, unde dubia hic se exserit Quæstio: An creditor de ejusmodi debitoris dolis & fruaudibus certior redditus, eundem in nundinis arrestare & convenire queat? Quod prima fronte negandum videtur ex *l. un. C. de Nund. & Mercat.* quia nullum in nundinis ex negotiatorum mercibus convenire vel in venalitiis aut locorum temporali quæstu & commodo privata exactione sectari, vel sub prætextu privati debiti aliquam ibidem concurrentibus molestiam inferre licet. *Itemque ex Constitut. Elector. Sax. part. 1, Const. 30.* ubi dicitur: Wir wollen aber sonderlich/

daß in allen Fällen/ innerhalb der öffentlichen Märckten/ der Handel und Werbung halber / die Freyheit gehalten/ kein Arrest stat haben/ auch bürgerlichen Sachen und Obligation wegen Niemands angehalten werden soll. Hoc ipsum in rebus concessum, utique etiam in personis, quæ magis privilegiatæ videntur, valet. Denique etiam negandum videtur ex privilegiis nundinarum quarum non minimum sibi vendicat locum privilegium illud quod arresta. Durantibus siquidem nundinis nulla omnino arresta conceduntur & nullus ex causa vel obligatione civili detineri potest *d. l. un. C. & Nov. 52. c. 1.*

XIV.

Verum nos affirmamus Creditorem de dolis & fraudibus debitoris, præsertim de fuga suspecti, certiorem factum, eundem in nundinis arrestare posse, quia contra debitorem fugitivum cessant privilegia *l. 10. §. 16. ff. Quæ in fraud. cred.* Gail. *lib. 2. Obs. 44.* & licet creditori vigilare ad suum consequendum *l. 21. in pr. ff. de peculio.* Quis autem & quando de fuga suspectus censeri debeat arbitrio judicis committendum est, ut notat Treutl. ex Menoch. *Vol. 1. disp. 5. th. 11. lit. b. p. m. 42.* Præterea nobis sermo est de Mercatoribus fallitis & decoctoribus, qui bona fortiter absumserunt aut alios defraudarunt; & hi privilegio nundinarum de non arrestando haudquaquam gaudent, sed insuper tanquam carcinomata Reip. sunt puniendi *Recess. Imper. de Anno 1548. tit.* von verdorbenen Kauffleuten. *pr. ibi:* Dieweil solche betriegliche und schädliche Handlungen/ die sich einem Diebstal wol vergleichen/ dem gemeinen Nutz zum Nachtheil gereichen ꝛc. atque furum supplicio afficiendi secundum decretum der Hanse-

seeStädt

ſee Stådt wieder die muthwilligen falliten der Banckeroti tierer Lubecæ typis excuſum & publicatum 20. April. Anno 1620. ibi: auff ſolchen Fall ſoll nach vorhergehender Declaration nicht allein die Schandglocke über ihnen geläutet/ ſondern auch mit öffentlicher Auffſtellung an den Pranger ewiger Verweiſung / auch nach vermerckten Umſtänden als ein Dieb oder Falſarius an Leib und Leben geſtrafft werden.

XV.

Duobus Decoctorum generibus præmiſſis & tertium addere ordo poſtulat. Ad quod pertinent ii, qui partim culpa propria partim fortunæ vitio decoquunt: qvales dici poſſunt, qui de facultatibus ſuis plus quam in his eſt ſperantes, amplas negotiationes ſuſcipiunt, iisque poſtea ſufficientes non ſunt: itemque in aliis regionibus, in quibus ipſi rebus ſuis præeſſe nequeunt, negotiationes exercent, easq; inſtitoribus qualibus qualibus committunt. Mejer *in Coll. Arg. l. 42. tit. 3. th. 6. p. 1373.* Vel qui ultra facultatum ſuarum vires æs alienum contrahunt, ſperantes ſeſe tantum lucraturos, ut non ſolum creditoribus pro acceptis mercibus pretium ſolvere, ſed & ingens lucrum ad ſe ſuamque familiam ſuſtentandam, percipere poſſent; Caſibus autem fortuitis merces acceptas amittunt, aut non eo quo compararunt pretio easdem vendunt, nec vendere poſſunt. Hac ratione qvidem horum vitium in propatulo eſt ad plura ſeſe obligantium, quam in bonis habent, animus autem & propoſitum fuit fidem datam ſervare & pretium pro nactis mercibus creditori ſolvere, cujus vero facultas ob paſſum infortunium ipſis denegatur, unde hoc fortunæ vitio partim adſcribendum. Vel qui præter ullam deliberationem facile

cile

ciles & multi sunt in interponendo fidem pro aliis & quidem supra facultates suas. Gail. *2. Observ. 83. n. 12. 15.* Fidem autem pro aliis interponere dilapidare est. Jason *in. l. contra Juris. 28. §. fin. ff. de Pactis.* ib. *Alexand. n. 14.* Morla *in Emporio Jur. part. 1. qv. 12. n. 6.* suaque substantia abuti. Gail. *d. Obs. 83. n. 15.* unde certa Paupertas Prov. *20. 16. & 22. 26.* cujus certum argumentum & præsagium. De quibus D. Mevius *in Comm. ad Jus Lub. lib. 1. tit. 5. art. 10. n. 37. p. 391.* ita ait: *Pessimum autem genus hominum est quod promiscua & vulgata quasi fide sibi supra patrimonii sui vires spondet, sibi noxium aliis fraudulentum; Cui non minus pœnas decoctorum, quam supra bona debita contrahentibus, deberi judico.*

XVI.

Hic observandum censeo, quod hujus farinæ decoctores non sint eodem numero, loco & conditione cum præcedentibus habendi. Marquard Freherus *tr. de fama publica lib. 3. n. 15. p. 528.* scribit: *Legem Bœotiis fuisse omnes decoctores infames imo infamissimos pronunciantem:* cujus rationem postea subjungit quod decoctorum nequitia multos simul magnamque sæpe civitatis partem in exitum secum trahere soleat, juxta dictum Tullianum pro lege Manilia: *Non posse una in civitate multos rem atque fortunas amittere, ut non plures secum in eandem calamitatem trahant.* Quia vero impium & inhumanum videtur fortunæ telis vexatum puniri & hominum infortunium etiam pœnis, nocentiumque odio innocentes prægravari, ut notat Straccha *part. 4. n. 4. p. 360. de decoct. ex l. divus Marcus 14. ff. de Officio Præsid. & l. tam dementis, 28. in f. C. de Episc. Aud. c. non debet. 22. de R. I. in 6.* Discrimen constituendum arbitrio Judicis, fortunæve vitium an culpa exuberet, quod con-

considerata debitoris assiduitate & negligentia, item propensa facilitate pecuniam mutuam sumendi; aut fidejubendi, nec non collatis cum mole debitorum facultatibus forsan apparebit, ut docet Mej. *in Col. Arg. lib. 42. tit. 1. th. 102. p. 1342.* Priores in quorum decoctione fortunæ vitium exuberat, ad eos qui solo fortunæ vitio facultatibus labuntur quam proxime accedere putamus; posteriores vero, si culpa & dolus adfuerit, cum secundi generis decoctoribus conferendos censemus, quibus merito & induciæ moratoriæ & beneficium Cessiones bonorum, de quo paulo post dicturi sumus, recensitis Decoctorum pœnis, denegandum. Hering. *de fidei. c. 5. n. 104. p. 63.*

XVII.

Pœnas ob depravatam hominum per lapsum primævum naturam introductas esse nemo negabit: unicum enim tum temporis erat præceptum, quod si servassent, nulla unquam mortales pœna affici potuissent; cum tanta esset status innocentiæ excellentia & perfectio, ut homo potuerit non peccare & consequenter nec puniri; Transgresso autem unico hoc præcepto & una divina lege positiva violata, homo adeo corruptæ evasit naturæ, ut non possit non peccare. Oriuntur autem pœnæ à vi legis coactiva, qua sua sponte parere nolentes ad obseqvium coguntur, unde sapienter Aristoteles *10. Eth. 9. p. m. 996. plerique non solent pudori parere, sed timori: neq; abstinere à malis ob dedecus, sed ob supplicia:* & paulo post *eod. cap. Multitudo necessitati potius quam rationi & pœnis quam honestati paret.*

Cum itaque decoctorum numerus quotidie increpescat, severissime in fraudulentos decoctores animadvertere salus est Mercaturæ, Straccha *de Decoct. part. 3. n. 8. p. 349.* interest enim Reip. ne delicta maneant impunita *l. ita vulneratus. 51. vers. si quis. ff. ad L. Aquil.* & ne quis re sua male utatur, *§. ult. Inst. de his qui sui vel. al. jur.* aut si male sit usus, in eum pœnæ exemplum tale statuatur, quod alios à simili delicto deterreat *l. 31. in fine pr. ff. depositi.* Sacra autem pagina prohibet fratrem in negotio opprimere aut fraudare, propterea quod Deus sit ultor de his omnibus *1. Thess. 4. 6.* & debitores non solvendo factos eorumque liberos vendi potuisse, docet exemplum debitricis de summa inopia & creditoris, filios in servitutem ducturi, sævitia, erga Prophetam Elisæum conqverentis *2. Reg. 4. 1.* ut & parabola Evangelica, ubi dicitur dominum jussisse venundari servum cum uxore & liberis & omnibus facultatibus & fieri solutionem *Matth. 18. 25.* Secundum LL. forenses Vet. T est. fures, quibus fæneratores & decoctores dolosi valde similes sunt, juxta sententiam Catonis *in lib. de re rustica*: Civis fœnerator pejor quam fur, omnis enim illicita usurpatio rei alienæ furti nomine comprehenditur *c. pœnale 13. caus. 14. qv. 5. & c. meretrices 11. caus. 32. qv. 4.* tenebantur in duplnm reddere; quod si præstare non poterant, videbantur *Exod. 22 3.* Jure Canonico decoctoribus pœna excommunicationis tribuitur arg. *c. Odoardus. 3. X. de Solutionibus*, qvamvis illa excommunicationis sententia in clerico non habente unde satis faciat suis creditoribus, locum non veniat, si præstiterit cautionem juratoriam se soluturum, cum venerit ad pingviorem fortunam. *dicto c. 3. de Sol.* & ibi Augugustin. Barbos. *in Collectaneis. num. 2. sqq.*

XIX.

XIX.

Secundum LL. XII. Tabb. admodum durus erat processus in debitores non solvendo factos constitutus. Dabantur *Primo* debitoribus triginta dierum induciæ: ita enim loquitur Gellius *l. 20. c. 1. p. 480. 481.* Confessi æris ac debiti judicatis triginta dies sunt dati, conqvirendæ pecuniæ causa, quam dissolverent: eosqve dies decem viri justos appellaverunt, velut qvoddam justitium id est juris inter eos qvasi interstitionem qvandam & cessationem, quibus dibus nihil cum his agi jure posset; Cur triginta illi dies justi sint appellati, Rittershus. *ad LL. XII. Tabb. c. 11. p. 200.* indicat, & causam concedendi inducias ponit humanitatem & benignitatem, qvæ svasit, aliquod spatium indulgere debitoribus, ad sese recolligendum & conqvirendam conficiendamqve pecuniam, quam creditoribus solverent. arg. *l. 16. §. 1. in f. ff. de compens. l. 71. §. 2. ff. de Legat. 1.*

XX.

Hic nonnulli putant debitoribus majorem dilationem concedi haud posse ex hac ratione, quod hac ipsa dilatione datisqve majoribus induciis debiti solutionem remorantibus creditores jure suo priventur. Qvod tamen nos in aliis præter debitum juratum, Cameræ, & ex delicto, fieri posse affirmamus, propter *l. fin. C. qui bon. ced. poss. l. 31. ff. de re judic.* in tantũ, ut intra hanc vel à Principe vel majori parte creditorum concessam dilationẽ cum debitoribus nihil jure agi possit, præsertim cum iis qvi propter adversam fortunam malamqve temporum conditionem ad inopiam redacti sunt. Straccha. *part. 6. n. 20. p. 400. de Decoctoribus.* Qvo tendunt verba Ciceronis *in*

 Orat.

Orat. pro Rab. Posth. Urgere homines iacentes, aut praecipit antes impellere inhumanum est; & Cujac. *lib. 2. c. 10. Observat. p. 27.* dicit, qvod idem Theodoricum Italiæ & Gothiæ Regem observasse Cassiodorus *lib. 2. ep. 37. Variar.* ostendat his verbis: *Sed quoniam lapsos nihil relevasse proficit, si onus aliud solutionis accedit, qui memoratis negotiatoribus noscuntur mutuasse pecuniam, celsitudo tua faciat admoneri, ne in hoc biennii spatio qvicqvam de credita summa æstiment postulandum: quatenus sub induciis supra dictis & datam possint reparare pecuniam, & aliquatenus debitorum valeat respirare substantia.*

XXI.

Elapso triginta dierum spatio, seqvebatur executio rei judicatæ. Si enim debitor ad pinguiorem fortunam, ut creditoribus satisfacere posset, non pervenerat, per manuum injectionem in jus ducebatur, trahebaturque; qvæ manuum injectio & ductio in jus fiebat, non ut causa cognosceretur & judicaretur, sed ut victor impetraret à Prætore, qvo victum sibi addiceret. Quando itaq; Prætor victum qvasi qvendam servum victori addixerat, hic habebat facultatem, victum secum domum abducendi, præsertim si victus sententiæ non pareret repræsentativa solutione, aut alius quis ipsum liberaret, facta vel solutione vel ex promissione. Finis hujus ductionis erat inclusio judicati in privatum carcerem & vincula. Romani enim privatos habuerunt carceres, quibus licebat includere debitores, qui non erant solvendo; hi privati carceres postea severissime sunt prohibiti *l. 1. C. de privatis carceribus inhibendis.* adeo ut non tantum qui eos habuisset, judicaretur reus læsæ Majestatis, ultimoq; supplicio afficeretur, verum etiam idem crimen incurrerent præsides, qui scelus hoc ab aliis commissum non

vin-

vindicassent; & officiales, qui ad suos judices crimen compertum non retulissent. vide Rittershus. *in Comm. ad LL. XII. Tabb. c. 11. p. 204.* ubi fuse totam hanc materiam de executione rei judicatæ, deqve addictione & nexu debitorum tractat. In tali carcere & vinculis retinebantur sexaginta dies custodiæ causa, arg. *l. 8. §. 9. ff. de Pœnis.* inter eos dies tribus nundinis continuis ad Prætorem in comitium producebantur, quantæque pecuniæ judicati essent, prædicabatur, ut inquit Gell. *lib. 20. c. 1. p. 481.*

XXII.

Tandem seqvebatur finalis executio, qvam triplicem fuisse ex verbis Legis apparet. *Primò* erat Venditio & qvidem peregre, hoc est extra patriam, extra quam vendebantur & in servitutem redigebantur, atque ita iis adimebatur libertas vivendi arbitrio suo, quæ res inæstimabilis est §. 7. *Inst. qui & ex quibus caus. l. 106. ff. de R. I.* qvia nullum sibi pretium æqvivalens invenire potest *l. f. ff. de his qui deiec. vel eff.* & juxta versiculum:

Non bene pro toto libertas venditur auro
Hoc cœleste bonum præterit orbis opes.

in qvam duram servitutem & vincula, ut in compedibus opus faceret ipsi creditori, redactum fuisse olim Titium Veturium, filium ejus Veturii, qvi in consulatu suo Samnitibus ob turpiter ictum fœdus deditus fuerat, eumq; propter domesticam ruinam & grave æs alienum Cœlio Plotio nexum se dare admodum adolescentulum coactum fuisse refert Valer. Maximus *lib. 6. c. 1. §. 9.*

XXIII.

Jus Saxonicum cum Jure XII. Tabb. fere congruit,

 nam

nam debitor, etiamsi liber homo sit, servire cogitur creditori suo pro debito pecuniario, qvi etiam in compedibus eum habere potest, der Schuldner wird seinem Gläubiger an die Hand und Hälffter gegeben/ biß er die Schuld loß arbeite oder loß sitze/ Land R. *lib. 3. art. 39. pr.* Weichbild *art. 27. in fin.* Quæ tamen adjudicatio debitoris sua culpa non solvendo existentis, in electoratu Saxoniæ est abrogata per Novellam *Constit. Elect. Sax. part. 2. c. 22.* & in hujus locum pœna carceris publici introducta, der Schuldthurm. ibi: So wollen wir auch derowegen die Versehung und disposition der Sächsischen Rechte/ nemlich daß der Schuldener dem Gläubiger an die Hand und Halffter gegeben werden soll/ gäntzlich abgethan abrogirt und auffgehoben haben. Jure Lubecensi approbari istam adjudicationem ostendit *art. 1. tit. 3. lib. 1. vers.* Nimt er die Persohn an/ mag er denselben gefänglich einziehen lassen/ und halten als einen Schuldgefangenen: wil er ihn aber zu eigen annehmen/ und er ihm also gerichtlichen übergeben wird/ soll er ihn speisen als das Gesinde/ und verwahren wie man am besten kan/ auch wol anlegen/ wann er wil/ doch daß ihm an seiner Gesundheit kein Schaden geschehe. etc. Vid. D. Mevii *Comm. ad Jus Lub. loc. cit. n. 91. & seqq. p. 268.* ubi etiam indicat in hoc articulo tres adjudicationis effectus exprimi, quorum *Primus:* Qvod adjudicatus sit proprius homo creditoris, daß er ihn zu eigen annimt. *Secundus* est, quod privato carcere eum detinet, mag Ihn in seinen eigenen Schlössen halten/ ut verba verwahren/ als er am besten kan indicant. *Tertiò* operas præstare tenetur, ut dum pecunia solvi neqvit, ex istis creditori satisfiat. Qvod vero debitor ob æs alienum non solum in carcerem detrudi, sed etiam ad manus creditoris assignari qveat, ut operas in compensationem debiti præ-

stet,

ſtet, adhuc in Gallia Hiſpania & Florentiæ conſtitutum eſſe tradit ex Jacobo Menochio *de arbitr. Jud. quæſt. caſu 183. n. 3.* & Bernardo Grevæo *Concluſi pract. Cam. imper. Concluſ. 26. n. 4.* Antonius Hering. *de Fidei. c. 6. n. 258. p. 131*

XXIV.

Secundò erat Pœna capitis, qvam & Calecutanos in debitores obæratos conſtituiſſe refert Rittershuſ. *in Comm. ad LL. 12. Tabb. c. 11. p. 211.* Indos qvoque & Piſidas uſurpaſſe Alex. ab Alexandro. *lib. 6. c. 10. Genial. dierum* teſtatur. Et Imperator Gratianus *in l. 2. C. Theod. qui bon. ex l. Jul. ced.* ſanxit: ne debitor niſi qui per vim majorem bonis everſus fuerit, bonorum ceſſione uti poſſit, ſed ut ad redditionem debitæ quantitatis congrua ac digniſſima ſuppliciorum acerbitate cogatur. Hotom. *Qu. illuſt. qu. 26.* Sed hanc capitis pœnam) *ut Gellius loquitur lib. 20. c. 1. d. 481.*) ſanciendæ fidei gratia horrificam atrocitatis oſtentu novisqve terroribus metuendam reddiderunt: nam ſi plures forent, qvibus reus eſſet judicatus, ſecare ſi vellent, atqve partiri corpus addicti ſibi hominis permiſerunt; unde *Tandem* erat Sectio & Partitio corporis debitoris ſibi addicti. Ad hanc reſpexiſſe videtur Cicero *in Orat. pro Quintio:* Si funus id habendum ſit, qvo non amici conveniant ad exeqvias cohoneſcendas, ſed bonorum emptores, ut carnifices, ad reliqvias vitæ lacerandas atque diſtrahendas. Hujus ſectionis etiam meminit Quintilianus *l. 3. c. 6. Inſtit. orat. ſunt quædam,* inqvit, *non laudabilia naturâ, ſed jure conceſſa, ut: duodecim Tabb. debitoris corpus inter creditores dividi licuit: Quam Legem mos publicus repudiavit.* Qvod & Tertullianus *in Apologetico c. 4.* affirmat referente Rittershuſio *in Comm. ad LL. XII. Tabb. c. 11. p. 210.*

p.210. sed & judicatos in partes secari à creditoribus Leges erant, consensu tamen publico crudelitas erasa est: & in pudoris notam capitis pœna conversa: bonorum adhibita proscriptione. Suffundere maluit hominis sangvinem qvam effundere. Quæ verba Rittersh. loco citato sic explicat: pœnam illam capitalem sive dissectionem esse mutatam in pœnam ignominiæ, qva scilicet per ruborem in facie hominis sanguis suffunditur. Caussam autem tam severi & immanis juris ponit hanc, ut illius sectionis metu deterriti homines tanto magis caverent[æs alienum, tantoqve observatiores essent fidei. Nam & nimiam æris alieni accumulationem & fidei violationem, qvæ cum illa fere conjuncta esse solet, pro crimine prisci Rom. habuerunt. Apud Persas etiam non minus erat infame, æs alienum debere, qvam mentiri. Sic enim existimabant Persæ, vix aliter fieri posse, qvam ut crebro mentiatur, qvi æs alienum debet, nec servat promissa solutionis tempora. Rittersh. *dicto loco.p.209.* & Alex. & Alex. *lib.6.genial.cap.10. p.330.* In jure Civili & aliæ pœnæ in Decoctores dolosos & debitores sua culpa aut dolo facultatibus lapsos constituuntur. Laborant enim tam infamia Juris quam facti *l. ea quæ 13. C. ex quibus causis inf. irreg. l.1. vers. qui dolo malo & fraude ff.eod.* Sic de Crasso qui in lautitiis & gula patrimonium obligurierat refert Val. Max. *lib.6.c.9. n.12.* quod cum ignominia decoctor denominatus, & cum derisione dives salutatus sit, postquam integrum debitum solvere non poterat, sed bona ejusdem à creditoribus vendita fuerant. Subjiciuntur præterea ictibus plumbatarum *l. quilibet 40. C. de Decurioribus.* quod Straccha *tr. de Decoct. part.3.n.4.p.347.* declarat, de quo pœnæ genere notandi etiam sunt versiculi Prudentii περὶ στεφάνων, quibus hoc exprimitur:

Tun-

Tundatur tergum crebris ictibus
Plumboque cervix verberata extuberet
Pulsatus ergo martyr illa grandine
Postquam inter ictus dixit hymnum plumbeos.

Illis etiam, qui dolo malo dilapidant rem vel pecuniam publicam seu fiscalem, injungitur restitutio in duplum *l. 46. §. 1. ff. de Jure fisci.* interdum in quadruplum *l. 45. §. 13. ff. eod. l. 8. C. eod.* Removentur à dignitate *l. 2. C. de palat. sacrarum Larg.* & ab officiis *l. 12. C. de suscept.* Ubicunque tandem titulus delicti deficit, hujusmodi decoctores, qvi fraudem admittunt, in crimen stellionatus incidunt: quod objici potest his, qui dolo quid fecerunt, & his qui imposturam faciunt. *l. 3. §. 1. ff. Stellionatus.* Stracch. *tr. de Decoct. part. 3. num. 5. p. 348.*

XXV.

Varias pœnas Statuta quoque & observationes debitoribus obæratis & decoctoribus irrogant. Imperator Carolus V. per edicta Ann. 1531. 7. Oct. & Ann. 1540. 6. Octobris Bruxellæ publicata debitores sua culpa non solvendo existentes ad laqueum condemnavit; Quem edicti rigorem Constitutio Imperialis Ann. 1577. tit. 23. in der Policey Ordnung zu Franckfurth mutavit. ibi. So setzen/ordnen und wollen wir / daß solche Hanthierer und Gewerbsleute / so sich fürsetzlicher oder betrieglicher Weise / und nicht aus kündlichen zugestandenen Unfall außstehen / Banckerott machen und außtrinnig werden / hinführo von keiner Herrschafft oder Obrigkeit / auffgenommen / noch ohne Willen der Gläubiger vergleitet und geduldet / sondern wo die betreten / zur Hafft angenommen / den Klägern zu Recht gehalten / und nach Gestalt der Sa-

chen gestrafft/ auch so sie wieder zur häußlichen Wohnung kommen/ alsdenn zu keinen Aemptern oder Dignitäten gezogen werden sollen. Secundū Edicta perpetua Regum Gallorum decoctores ignominiose tractantur, in carcerem detruduntur & haud raro capitis pœna afficiuntur, quod etiam videre licet ex Edicto Francisci I. Gallorū Regis Anno 1536. 10 Oct. Lugduni ibi: und nach befundenen Betrug die Schuldiger am Leibe gestrafft und verdampt werden sollen. Apud Florentinos olim decoctores jus ferendi suffragii civitatisque amisisse Hering. ex Brut. *libro historiæ Florentinæ* indicat *c.5.p.64.n.110.* Græcis lege cautum fuisse, ut qui patrimonium prodegerat, sepulchro patrio non humaretur sed externo. Alex. ab Alex. *l.9.c.14.p.339. Genial. dierum.* testatur. Jure Saxonico pœna debitorum obæratorum est pœna carceris publici der Schuldthurm/ in quem uno vel pluribus creditoribus id postulantibus, is qui tantum æris alieni contraxit, ut facta excussione bona illius omnia illi exsolvendo non sufficere manifestum sit, conjicitur, & tam diu in illo detinetur, donec vel solverit quod debet, vel aliter eo nomine creditoribus satisfecerit, nec per cessionis beneficium, nec alio quocunq; modo invitis creditoribus liberetur, uti patet *ex Constit. Elector. Saxon. part. 2. cap. 22.* cujus verba hæc sunt: Würde iemand/ der in unsern Landen gesessen/ oder sich darinnen enthielte/ wer der auch wäre/ so viel auffborgen/ die Leute versetzen/ oder in anderwege schuldig werden/ daß alle seine Haab und Güter/ nach ergangener Hülff/ execution und excussion, zur Bezahlung nicht zureichten und genug wären/ oder über Vermögen sich in Bürgschafft einlassen/ und er möchte bey seinen Gläubigern keine Nachlassung erlangen/ berührte Gläubiger wären auch auff andere Wege nicht zu behandeln/ so soll er auff

Be-

Begehr und ansuchen eines oder mehr der Gläubiger in den Schuldthurm/ so wir in unsern Landen sonderlich dazu verordnen wollen/ geleget/ und also lange darinnen verwarlich enthalten werden/ biß er die Gläubiger befriedige/ oder sich sonsten mit ihren guten Wissen und Willen vertrage und abfinde. Und es sol Jhn darvon keine Abtretung seiner Güter und Cessio bonorum, so er ohne Bewilligung seiner Gläubiger thäte oder fürnehme/ nochichts anders entledigen oder zu befreien haben.

XXVI.

Jure statutario Hamburgensium pœna debitorum etiam est carcer der Winserbaum dictus, in quo detinentur per tot annos quot mille marcarum Lubecensium debitum continet, vide *part.1. tit. 41. art. pen.* ibi: soll er so viel Jahr auff den Winserbaum sitzen/ so viel tausend Marck Er schuldig bleibt 2c. & creditor in debitoris alimentum ultra unum solidum quotidie dare non tenetur *d. l. art. 11.* des Hamburger Stadt Rechts, ibi und ist der Kläger zu desselben Unterhaltung nicht mehr denn täglich einen Schilling Lübsch zu geben schuldig. Si vero creditor propter impensas debitorem in carcerem conjici noluerit, hic præstito juramento paupertatis civitatem relinquere cogitur, usque dum creditori satisfecerit, dicta *part. 1. tit. 41. art. fin.* ibi: So soll auff des Klägers Anforderung/ der Beklagte den Eyd der Armuth zu schweren/ und sich dieser Stadt und Gebiete so lange zu enthalten schuldig seyn/ biß er den Kläger befriedigt/ oder sich mit ihm verglichen. Facta autem conventione cum creditoribus, si debitor ad pinguiorem fortunam pervenerit, ab officiis & dignitate excluditur. *part. 1. tit. 43. art. 1. & sqq.*

des Hamburger Stadt Rechts. Quomodo Jure Lubecensi cum debitoribus obæratis procedatur, videndum apud Dn. Mevium *in Comm. ad Jus Lubec. part. 1. tit. 3. art. 1. p. 255. & seqq.*

XXVII.

Visis pœnis, quibus Decoctores afficiuntur, operæ pretium nos facturos existimavimus, si nonnulla de Beneficio Cessionis Bonorum, cujus spe plerique decoctorum temere æs alienum contrahunt, subjunxerimus. Multa enim privilegia & beneficia debitoribus calamitate bellica pressis, fortuitoque casu ad incitas redactis, qviqve ex accidenti, non supina negligentia, res suas amiserunt *Nov. 35. in pr.* clementia Imperatorum & benignitate temporum sunt concessa; tale est Beneficium Competentiæ quo utitur debitor, ne conveniatur ultra quam facere possit, sed tantum ei relinquatur, unde victum & amictum habeat. arg. §. *cum eo quoque 42. Inst. de Action. l. 16. l. 17. §. 1. l. 30. ff. de re judicata.* Joan. Fab *in. §. cum eo n. 10. Inst. de Act.* Joan. Platea. *ad d. §. n. 20.* Jason. *ad. h. §. n. 7.* Hipp. de Marsiliis. *in singularibus. Sing. 241.* Mynsing. *ad d. §. fin. n. 5. de Act.* Hartman. Hartm. *pract. forens. l. 2. tit. 18. obs. 2. num. 19.* Philippus Zorer *in quæstion. suis. qu. 8. n. 592. q. 13. n. 1129. qu. 14. n. 1233.* Est etiam particularis solutio, qua contra regulam: Integrum debitum solvendum *l. 41. §. 1. ff. de Usur. l. 9. C. de Solut. l. 3. ff. fam. ercisc. l. 73. ff. de R. I.* debitori librum est, summam debitam particulariter solvere. arg. *l. 21. ff. de Reb. cred.* Est beneficium induciarum moratoriarum, quo debitoribus dilatio ad solvendum datur, quarum sedes ordinaria *in l. f. C. qui bonis cedere possunt l. 2. l. 4. C. de prec. imp. off.* de quo beneficio videri potest D. Wilhelm. Anton. de Freundeberg. *in tr. de*

Re-

Rescript. Morat. Est beneficium dandi insolutum, debitori pecunia destituto concessum; quo oblatis bonis suis urgenti creditori, etiam invito pro solutione à rigidiore executione citra injuriam liberatur. *Auth. Hoc nisi. C. de Solut. & Nov. 4. c. 3.* Hæc datio in solutum alias vocatur solutio repræsentativa seu surrogativa arg. *l. 29. C. de Evict.* à nonnullis prodromus & antesignanus Cessionis it. subsidiaria solutio, vide Manz. *Patroc. de paup. deb. dec. 2. qu. 9. & 10.* Inter hæc beneficia refertur quoque Cessio bonorum ex benignitate contra rigorem Juris L. Julia introducta, ut inopes debitores cedendo bonis possint evadere carceris molestias, aliasque creditorum vexationes *l. 1. l. 4. C. qui bon. ced. poss.* & Ampl. Dn. D. Hahn. *in Observ. Wesemb. h. t. p. m. 739.*

XXIIX.

Est autem cessio bonorum beneficium debitori ære alieno onerato L. Julia concessum, quo oblatis ac dimissis bonis suis creditori urgenti ad ejus satisfactionem à carcere aliisque molestiis liberatur. Vide Matth. Brun. *in tract. de Cessione bon. qu. 1. princ. n. 1.* & Casp. Manz. *Patroc. de paup. deb. dec. 2. qu. 1. n. 11. p. 10.* Dicitur à cedendo, quia debitor cogitur bona sua relinquere, eaque alteri creditori scilicet credere vel tradere; Dicitur Beneficium, tum quia contra stricti Juris dispositionem ac rationem debitori concessum, ut adeo jure, vel beneficii vel juris singularis vel privilegii nomine veniat per *l. jus singulare 16. ff de LL.* tum quia benefacit debitori, ne in carcere detineatur *l. 1. C. qui bon. ced. poss.* aut alias injuriam patiatur. *l. 7. C. eod.* Et quamvis miserabile sit beneficium, ac flebile adjutorium, eligit tamen debitor è duobus malis id quod habet rationem boni, ut inquit Aristoteles *5. Ethic. c. 1. p. m. 419.*

m. 419. διοκεῖ τὸ μεῖον κακὸν ἀγαθὸν εἶναι. ut evitet majus malum, incarcerationem scilicet, Wesenb. *ad ff. n. 2. p. m. 718.* Bonis autem cedere possunt omnes debitores ære alieno onerati, & vel calamitate bellica vel aliis fortunæ casibus adversis non solvendo facti. Competit etiam hoc beneficium Universitati, Collegio, Ecclesiæ, & aliis personis Ecclesiasticis, qui bona habere possunt. Ampliss. Dn. Hahn. *in Obs. Wes. n. 3. p. m. 740.*

XXIX.

Hoc autem beneficio cum multis aliis, quos refert Ampliss. D. Hahn. *loco citato* non gaudent Mercatores falliti & decoctores, qui maximis pecuniarum summis à compluribus mutuo receptis, consulto atque de industria foro cedunt, & contra fidem publicam alio confugiunt, seque decoxisse fingunt, ut tandem creditores molestiis defatigatos & litibus atque expensis vexatos ad pactiones & iniquissimas conditiones trahant, cum cessionis beneficium sit miserorum subsidium non dolosorum præsidium arg. *l. verum est. 63. §. 7. ff. pro socio.* Matth. Brun. *de Cess. bon. qu. 4. pr. qu. 5. n. 3. p. 623.* & decipientibus Jura non subveniant *l. 2. §. 3. ff. ad SC. Vellei.* auxiliumque legis ei qui contra eas committit denegetur *l. 37. §. 1. in f. ff. de Minoribus c. quia frustra X. d. Usur.* Hujusmodi malitiosis & dolosis decoctoribus merito etiam beneficium quinquennalis dilationis denegandum, ut Boërius concludit *in decis. 246. col. 8. in fin. vers. nec per consequens.*

XXX.

Ut tandem eo melius hoc beneficium Cessionis bo-

norum

norum cognoscamus, ejusdem substantialia erunt ponderanda: quorum *Primum* est, ut debitum sit liquidum, de quo Perez. *ad tit.C.de Compens.n.5.* nempe quod certum sit deberi, aut facile probari & ostendi possit, quale est confessum, præsens, & quod ex judicato venit. vide *l.ult.C. de Compens.* Solent enim debitores alieno ære adeo onusti ut huic oneri ferendo pares non existant, nec justo tempore debitæ pecuniæ summam reddere valeant, varias easque futiles & odiosas de debito liquido creditoribus movere quæstiones: arg. *l. quod te mihi. 5. ff. de Reb. cred.* nonnullorum quoque nomina, quibus creditores sibi illos obligatos dicunt, vel plane nulla sunt, vel non ex omni parte liquida. Doctores in debiti liquidi requisitis & modis ponendis non omnino conveniunt. Ummius *in process. disp. 23. n. 12. p. m. 957. ex Frid. Mind. Processu* quatuor ponit requisita. *Primo* Certos contrahentes, creditoris sc. & debitoris nomina expresse posita, non vero incerta arg. *l. 1. pr. ff. de SC. Maced. Deinde* ponit certam debiti quantitatem, quæ in obligatione suo nomine aut ea demonstratione, qvæ nominis vice fungitur, qvalis qvantaque sit ostendatur, necesse est. *l. certum 6. ff. de Reb. cred. & l. stipulationem. 74. ff. de V. O. Tertiò* ponit certam causam & quidem honestam *l. 26. ff. de V. O. Denique* certam fidem seu probationem *l. post rem. 56. ff. de re Judicata.* & Matth. Brun. *tr. de Cess. bon. qu. 2. pr. n. 6. p. 612.* Nos relictis iis modis quos Treutl. *vol. 2. disput. 24. th. 4. l. c. ex l. 8. ff. de Cess. bon.* ponit, à quod dissentit Bacchovius, ex tribus sequentibus requisitis ab Amplis. Dn. D. Hahn. *in observ. ad tit. ff. de Comp. p. m. 940.* positis, debitum liquidum constare arbitramur. *Primò* ex Confessione adversarii vel ore facta vel instrumento in scriptis vid. Struv. *in Syntagm. I. C. Exerc. 21. th. 20. p. 766. Deinde* ex Genere quæstionis seu

con-

constitutione causæ, cum de facto non disputatur, sed de quæstione juris, ubi exemplum addit: an scilicet in bonæ fidei contractibus usuræ debeantur ex mora: hoc liqvidum est, quia jure certo definitum *l. 32. §. 2. l. 17. ff. de Usuris. Tandem* Ratione celeris probationis h.e. si causa liquida sit, & non multis ambagibus innodata, sed possit judici facilem exitum sui præstare, ut loquitur Justinianus *in l. 14. §. 1. C. de Compensationibus.*

XXXI.

Secundo, ad substantiam Cessionis requiritur, ut creditores antequam debitor ad Cessionem bonorum admittatur, citentur; potest quidem debitor bonis cedens à carcere, etiam invitis creditoribus, relaxari: quia vero talis relaxatio non sine aliquali judiciorum ordine fieri debet, merito hi quorum interest citari debent Matth. Brunus *in tr. de Ceß. bon. qu. 9. pr. n. 2. p. 654.* Non autem necessarium est, ut omnes creditores citentur, sed sufficit, illos, qui instant, seu contra debitorem litigant & cum quibus pendet causa, quique hactenus solutionem debiti petierunt, carceremque minati sunt, ad actum Cessionis vocari: huc facit textus *in l. 4. §. Sabinus. ff. h. t. & ibi gl.* ubi dicitur, quod qui ad nonnullorum instantiam cessit, ab aliis creditoribus, quorum timore non cesserit, inquietari non potest, nisi ut bona doceat. Matth. Brun. *dicto loco n. 4.* Actus Cessionis bonorum variis olim modis celebrabatur, quorum multos videre licet apud citatum Brunum. *qv. pr. 6. n. 2. & seqq.* & Ampliss. Dn. Hahn. *ad tit. de b. bon. p. m. 744.* ut & Perezium *ad tit. C. qui bon. ced. n. 2. p. 579.* ad quos Lectorem brevitatis studio remitto. Horum nonnullos, licet ignominiosos cedendi ritus, propter abu-

abuſum Ceſſionis, ad quam facile debitores cum pernicie creditorum accedere ſolent, pluribus in locis receptos eſſe ex Damhoud. *Prax. Civ. c.70. n. 5.* conſtat. De Iure Civili nulla ſolennitas, præter ſolam voluntatis, æs alienum confitentis, profeſſionem requiritur *l. in omni. 6. C. qvi bon. ced.* Sed ſimplici verbo fieri poteſt, vel per nuncium vel per epiſtolam, & non tantum in judicio, ſed & extra judicium, agnoſcendo prius debitum & præſente & abſente adverſario. *l. ult. ff. de Ceſſ. bon.* Brun. *cit. l. p. 649.* Hering. *de fidei. c. 11. n. 77. 78. p. 289.*

XXXII.

Tertio, ad ſubſtantiam Ceſſionis bonorum requiritur: Ut debitor omnes indicet facultates, ſeu omnia bona manifeſtet. Matth. Brun. *qu. 5. pr.* Sig. Saccia. *in tr. de Commerciis. & Cambio.* duplicem facit manifeſtationem bonorum; *prima* eſt manifeſtatio conſervatoria, ad obviandum fraudibus, quæ in bonis manifeſtatatis committi poſſent, tendens: hæc quia ſaltem in inventario ab herede conficiendo locum habet, hic non attenditur. *Altera* vero quæ exhibitoria dicitur, ſine conſervatione bonorum manifeſtatorum maxime habet locum in Ceſſione bonorum; qui enim ad hanc admitti vult, debet manifeſtare, h. e. indicare & propalare bona creditoribus, alias privatur beneficio hoc. Scaccia *de comm. & camb. §. 7. Gl. 5. n. 102. p. 473.* olim namqve officialis executor poterat debitori dicere: bona in quibus executio fieri poſſit exhibeas, alias in perſona tua, te carcerando, executionem faciam. Brun. *tr. de Ceſſ. qu. 5. pr. n. 1. p. 649.* Ubi addit: quod cedens bonis, qui bonorum occupatione ſuſpectus eſt, à judice etiam torqueri poſſit, ut bona

exhi-

exhibeat, ut est mercator fallitus & fugitivus, ut pecunias ad mercandum sibi traditas indicet, quas habere nunc negat, easque amisisse asserit. Hæc manifestatio seu bonorum indicatio à debitore de veritate suspecto cum juramento fieri debet, se nihil patrimonii sui, nec auri nec argenti reliquum habere, unde æris alieni supplementum faciat, Nov. *135. c. 1. §. Jusjurandum.* Formulam sententiæ, debitorem, ad quantitatem & qualitatem bonorum suorum exstantium, mediante juramento, significandam, cogi posse, habet Anton. Hering. *c. 5. n. 82. p. 60. de fidei.* In Sachen etc. ist genanter N. auff sein Erbieten zu Abtretung und Cedirung seiner Haab und Güter zugelassen / doch so fern daß er bey dem Eyd / den er ietzo zu Gott und seinem H. Wort schweren / eigentlich bestimmen und anzeigen soll / was und wie viel / auch bey und hinter wem ietzo an liegenden oder fahrenden Haaben / Gütern / Schulden / oder andern Haaben / gar nichts außgenommen. Und wo der gemeldte N. Gläubiger über kurtz oder lang erfahren würde / daß er nichts an und von seiner Haab / Gütern und Gerechtigkeiten zu gefehrden oder durch Betrug übergeben / veræussert oder entfremdet hätte / soll demselbigen Gläubiger deßhalben seine Gerechtigkeit und Forderung vorbehalten seyn.

XXXIII.

Tandem etiam ad substantiam cessionis pertinet, ut debitor cautionem præstet se soluturum, si ad pinguiorem fortunam pervenerit. Per bonorum enim cessionem cedens non liberatur ab obligatione & debito currente arg. *l. 7. C. qui bon. ced.* nam ille effectus nullibi invenitur attributus cessioni, ut liberet à civili obligatione.

tione. Perez *ad tit. C. qui bon. ced. n. 12.* sed si melior ei fortuna arriserit & postea aliquid acquisiverit, quod idoneum emolumentum habeat, ex integro in id, quod facere potest, creditores experiuntur, *§. cum eo. 40. Inst. de Action.* quæ enim conceduntur propter inopiam aut necessitatem auctis facultatibus cessant *l. 17. §. 2. ff. de Exus. l. 4. §. 1. ff. de Muneribus. l. 10. §. 3. ff. de Vacat. mun.* Quanquam autem Cautio fidejussoria & pignoratitia solum idonea, plena, competens & sufficiens sit *l. si mandati. 59. §. fin. ff. mandati. l. 4. §. 8. ff. de fideic. libert.* Anton. Hering. *de fidei. c. 5. n. 92. p. 61.* tamen quia debitores depauperati nec pignoribus, quibus destituuntur, cavere, nec facile fidejussores invenire possunt, juratoriæ cautioni standum esse æquitas suadet. Matth. Brun. *d. tr. qu. 7. pr. n. 5.* & hæc cautio etiam sufficit *per auth. General. C. de Episc. & clericis.* ibi: *aut si fidejussorem dare non valet, super iisdem juratoriam exponat cautionem &c. § sed hodie 2. Inst. de Satisd. l. sancimus. 3. C. de V. S.* De requisitis, quæ ab aliis ad cessionem bonorum constituuntur, vide Ampliss. Dn. D. Hahn. *in Observ. Wes. ad tit. ff. de Cess. bon. n. 5. p. m. 742. 743.* Cessione vero facta creditoribus non licet autoritate propria dividere bona & jure dominii statim detinere, sed debent venditionis remedio, quatenus substantia patitur, indemnitati suæ consulere *per l. 4. C. qui bon. ced.* publice itaque bona subhastari & vendi debent; *l. pro debito. 6. C. de bon. aut. jud. poss.* & si emptorem non inveniant, addicuntur creditori pro ea quantitate quæ debetur *l. 15. §. 3. ff. de re Judic.*

XXXIV.

Hic quoque observandum, quod Cessio principalis debitoris fidejussori non prosit: quia beneficium istud le-

gis personale est, cui causam dedit debitorum inopia, quæ non est eadem in fideiussoribus. Deinde personalis exceptio personæ cohærens non transit ad alios. *l. 7. in pr. ff. de Except. l. Privilegia. 196. ff. de R. I. l. sordidorum. 13. C. de excusat. mun. l. 1. §. & datur. 43. ff. de Aqua quot. C. Privil. 7. X. de R. I. in 6. l. Quia. 13. ff. soluto matrim. quem.* & finis fideiussionis est, ut creditores sibi prospiciant in casum quo contigerit deficere principalem, utque possit ab iis, qui pro eo se obligarunt, suum continuo consequi facta Cessione, ut frustanea sit ulterior excussio, quam ipsa debitoris inopia excludit. *§. fin. vers. sanc. quædam Inst. de Replicat.* Plerumque enim ab eo, quem proprio nomine obligamus, alios accipimus, qui eadem obligatione teneantur, dum curamus, ut quod in obligationem deduximus, tutius nobis debeatur per *§. 8. l. 1. ff. de O. & A. pr. Inst. de fidejuss.* vide etiam sæpe citatum Brunum *in tractatu de Cessione Bonorum. quæst. princ. 8. num. 1. 2. & seqq.*

XXXV.

Ultimo denique hæc sese offert Quæstio: an cedens bonis notetur infamia? Infamiam juris quod attinet, eam cedentes non incurrere in confesso est: lex enim tale factum notans deficit; quin potius debitores, qui bonis cesserint; licet ex ea causa bona eorum venierint infames non fieri expresse dicit. *l. 11. C. ex quibus caus. irr. inf.* Cessio quoque bonorum salva existimatione fieri dicitur. *l. ult. C. qui bon. ced. poss.* nec infamia facti hic locum obtinebit; hæc enim imponitur ob turpe factum, & dolum vel simile crimen quod in dolum incidit. Wesenb. *ad tit. de his qui not. inf.* in Cessione autem bonorum tale factum non adest, & excluso dolo, præter pauperta-

tem,

tem, fortunæ adversitate exortam, nihil superent, paupertas autem per se ex genere malorum non est arg. §. *fin. Inst. de susp. Tut. l. 6. C. eod.* remota itaque causa removetur effectus. Præterea Cessio bonorum legale aliqvod auxilium & beneficium est, deque genere permissorum, quæ autem jure permittente fiunt infamiam facti mereri non possunt. Pet. Greg. Tholos. *Syntagm. lib. 22. cap. 11. n. 5.* Unde cum Amplissimo D. Hahnio. *in Observat. ad tit. ff. de Cess. Bon. n. 4. p. m. 744. & ad tit. ff. de his qui not. infam. n. 5. p. m. 463.* & Celeb. G. A. Struvio *part. 1. Exerc. 7. th. 19. p. 219.* dicimus: cedentes, si per adversitatem fortunæ in necessitatem cedendi inciderint, nec facti nec juris infamiam jure Civili incurrere. Hæc pro ratione temporis & ingenii viribus loco disputationis academicæ, ex Doctorum commentariis proposuisse sufficiant: DEUM ter Opt. Max. devotis precibus veneramur, ut cujusvis rem familiarem & facultates ita augere & ab omnibus fortunæ adversitatibus custodire velit, ne unquam aliquis non solvendo existat, aut ad flebile hoc Cessionis beneficium accedere necesse habeat.

TANTUM.

COROLLARIA.

Debitores calamitate bellica aut aliis fortunæ casibus adversis depauperati, vel etiam ad pinguiorem fortunam reversi repeti,

petitionem non habent, si quid solverunt ultra quam facere poterant.

II. Debitor qui bona in solutum dedit, si pretium, pro quo res in solutum data, postmodum offerre velit, non est admittendus ad rei repetitionem.

III. In rebus etiam privilegiatis locum habet executio, si creditoribus aliter satisfieri non potest.

IV. Ne quidem per pactum inter creditorem & debitorem effici potest, ut creditor debitorem ad præstandas operas capiat.

V. Beneficium Competentiæ in terminis terminantibus non reperitur in jure expressum.

VI. Fidejussor debitoris privilegiati non gaudet privilegio competentiæ.

VII. Creditor cogi non potest ad liberandum fidejussorem acceptum, quamvis alius magis idoneus offeratur.

IIX. Fidejussor si pure promittat, quod alter ad diem debet, non obligatur, nec ejusmodi debitum ab ipso peti potest.

IX. Li-